

Z 5
P

Sum ex libris
Davidis Christiani Pauli
Regis Anhaltini
Comparavit Servetio
Anno 1503.
conf. 5 1/2



33

QVOD
KAROLUS IV.
AUGUSTUS,
non dissipaverit Im-


perii Patrimonium, quatenus per-
tinet ad regnum Arelatense,

PRÆSIDE
CONRADO SAMUELE
SCHURZFLEISCHIO,
PROFESSORE PUBLICO,

asseret atque evincet

GEORGIUS GIESE,
Magdeburgensis,

In Auditorio majori.



WITTENBERGÆ,
Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.
ANNO clō 1ōc LXXXIV.





ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO,

DN. ERNESTO

DE BÖRSTEL,

Serenissimi & potentissimi ELE-
CTORIS BRANDENBURGICI &c. &c. &c. Con-
siliario rei bellicæ splendidissimo, Camerario inclu-
to, Generali militiæ Præfecto Majori, Sancti Johanni-
tarum Ordinis Equiti, & Commendatori VVerbenensi,
Gubernatori castri Magdeburgensis fortissimo, ut &
Præfecturarum VVolmerstadii & VVanslebiæ
Capitaneo Supremo,

DOMINO MEO

GRATIOSISSIMO.



*Illustris & generosissime
Domine.*

Illustrissimo Tuo Nomi-
ni, quod laude bellandi
immortali, & fortitudinis famam
exteris in admirationem rapit,
me clientem exhibeo, & pagel-
las aliquot offero dedicoque.
Judicium tuæ bonitati permit-
to, cujus prudentiam in belli &
&

& togæ negotiis admiror , &
mecum suspicit hæc ætas, quæ
nunc inter arma & legiones ,
nunc inter purpuratos & aulæ
proceres, tuam sanè altitudinem
animi hostibus metuendam, &
virtutes demerendis rerum ar-
bitris aptissimas atq; incompa-
rabiles crevisse recordatur. An-
te signa stare, locum castris ca-
pere, & Principem seqvi, ma-
nuqve tutari, hæc tua voluptas
semper fuit. In eam nempe
spem fortunamqve natus & e-
du-



ducatus es, ut inter militiae pri-
mores constantia tua inprimis
enitesceret, quam nulli ancipi-
tes casus convellere, nulla,
quamvis maxima pericula, la-
befactare potuerunt. Quo-
ties cohortes errore metuque
dilapsas ad pugnandi ordinem
officiumque reduxisti? Quo-
ties in discrimine pugnae pri-
mum te ad orientibus objecisti?
Semper animo & corpore fir-
mus paratusque inter confertis-
sima agmina praeliatus, nec vul-
ne-

nera , neqve ictus extimuiſti.
Conſilium , industria , fortitu-
do domi forisqve ſatis eluxe-
runt , & majorum decora de-
nuò per T. E. cumulata, ani-
mum divinum & ſummum pa-
tefecerunt. Ego, quâ decet re-
ligione, Deum precor, ut hanc
gloriam nominis rerumqve ge-
ſtarum ad ſeros poſteros ſer-
vet , & ſub maximi Branden-
burgenſium Electoris tutela
& auſpicio , felicitatem ſtabi-
lem, valetudinem proſperam &
fir-



firmam, successus invidendos,
Illmæ T. GENEROSITATI, &
gentituæ universæ porro largia-
tur. Quod vovet, & suam obse-
quentissimi Clientis tenuitatem,
quâ par est veneratione & pieta-
te, humilimè commendat

Illustrissimæ T. Generositati

obsequentissimus

Servus, Clientis & admirator.

Georgius Giese.



I.

Sunt imperia, quæ non pleno, sed dividuo regendi jure constant, nec pro arbitrio, ac potestate Regiâ, sed ex pacto & convento administrantur.

II. Quorum tota vis ex mutuâ paciscentium obligatione pendet, non quatenus ea duntaxat ad modum regendi pertinet, sed quatenus ex ipsâ imperii ratione intimâ proficiscitur, atque ad ejus formam statumque spectat, & imperandi jus directè & intrinsecus afficit ac tangit.

III. Regna sigillatim nostræ gentis non testamento, sed suffragio & pacto delata sunt, qualia ex præscripto prudentum *legitima* appellantur, reverâ autem seu principatus, seu potiùs Respublicæ populares extiterunt, apud *Tacitum Mor. Germ. XI. 6.*

IV. Serò autem Germania omnis conjuncta est, ac nominatim auspicio KAROLI M. in unum civile corpus coaluit, firmâ pariter auctoritate Regum, & salvâ Procerum libertate, quæ vel maximè in regni Comitibus relucebat.

V. Postea disidiis res Francorum attritæ, ac demum casu stirpis Karlingorum in eum locum deductæ sunt, ut Germania se in perpetuum ab iis sejungeret, & libero eligendi jure uteretur. Quibus rebus evenit, ut sub duobus primis Regibus atque Imperatore Saxonis, & Salicorum primo, novis fulta viribus, proferret fines suos

A

trans



trans Mosam & Rhodanum, & regna Lotharii Burgundio-
numque subiceret suæ potestati.

VI. At non perinde cum Salicorum Imperatore
tertio actum est, quo regnante auctoritas Regum factio-
nibus imminuta, haud parum de terrore & veneratione
Germanici nominis apud finitimos exterosque detraxit.

VII. Nihilo minorem Germaniæ perniciem attule-
runt effusæ Cæsarum donationes, quarum ne Saxones qui-
dem, cetera fortissimi, & de universâ Germanorum na-
tione optimè meriti, modum tenuerunt.

VIII. De Regno Burgundiæ in suspicionem vocatur
KAROLUS IV. & quasi is tam prodigus largitor fuerit,
atque hujus regni jure cesserit, à multis nec spernendis scri-
ptoribus palam arguitur & accusatur.

IX. Quem cum defendere instituo, non superio-
rum Burgundiæ Regum ætates & acta persequar, sed verum
& civile regni istius imperium nullâ KAROLI IV. cesio-
ne extinctum, Germaniæ asseram, idque veris ac sine stu-
dio odioque depromptis monumentis confirmabo.

X. Principiò ipsa Karolina sanctio ad probandum
hoc idonea est, quippe qua tributus concessusque Archie-
piscopo Trevirensi titulus, solenne Imperii ministerium
notat, & apertè indicat, id per Galliam & regnum Arela-
tense non inani, & dicis causa apposito elogio patere. *A. B.
tit. 1.*

XI. Sanè certum est, hanc legem Karolinam non
universè statum formamque Imperii definire, sed cum pri-
mis *Electorum* Imperii, & *electionis* imperatoriæ jura san-
cire, atque adeo nihil frustra & sine causâ in eam relatum
esse, quod ad *Electores* & eorum *officia* ac dignitates
spectat.

XII. Ra-

XII. Ratio regulaque interpretandi omnino optima, & necessario nunc adhibenda est, quæ Augusti Legislatoris menti congruit, & cavet, ne quid ab eo sancitum, frustra sancitum promulgatumque videatur. vid. *de interpretatione Hugo Grotius de J. B. & P. II. XVI. & III. XIX. 3.*

XIII. Proinde si sacri Imperii per Galliam & regnum Arelatense *Archicancellariatus* in sede apud Treviros fundatus olim & fixus, eâ in constitutione, quæ præcipuè ad *Electores* pertinet, evidenter ac perspicuè Archiepiscopo Trevirensi assignatur, ut certè ipsi prorsus assignari manifestum est: jure & meritò sumenda est interpretatio, quæ vetat amplecti id, quod facit, ut aut verborum significatio in irritum recidat, aut sententia auctoris menti contraria & repugnans admittatur.

XIV. Illud certè constat, hunc *Archicancellarii* titulum à Boemundo inde Archiepiscopo sumtum, & constanter esse servatum. Multi quidem dubitant, aliqui conjecturâ ducti affirmant, imperante FRIDERICO II. vel paulò post cœptum esse usurpari, perinde ac arbitratur *Bernhardus Mallinckrot* in erudito libro *de Archicancellariis Imperii Romani*. At istum fanè scrupulum eximunt tabulæ Boemundi I. qui ab A. c. cccxxviii. usque ad annum c. cccxcix. sedi Trevirorum præfuit, atque hoc titulo usus est, indicio juris, quod eople nomine significatur, tunc nondum amissi, nedum derelicti. Respondet autem hoc tempus postremis Rudolphi Habsburgii annis, & complectitur tempora Adolphi Nassavii, & pertinet ad initium legitimi quoque imperii Cæsaris ALBERTI I. vid. *Chr. Browerus anal. Trevir. tom. II. lib. XVI.*

XV. Quare hinc sequitur, Rudolphum I. summâ ejus regni potestate se non abdicasse, quin potiùs in beneficiariâ *Comitatûs Provincia* concessione, summum *Dire-*



Et unquam dominium sibi reservasse : certè autem universo Burgundiæ regno nunquam renunciâsse, atque eo etiam vivis exempto, controversiam super confirmatione ab Adolpho Nassavio coeptam, satis evincere ac testari posse, Cæsarem in jure cum Provinciæ, tum præcipuè regni Burgundiæ tuendo ad ultimum perseverâsse; imò hoc regnante, Boemundum I. hujus nominis Trevirorum Antistitem, asserendi juris ergò, nomen titulumque *Archicancellarii* per Arelatense regnum suscepisse. *Browerus d. l.* ubi existimat, primum ab Arnaldo II. Trevirorum Archiepiscopo, qui Friderico II. & Conrado IV. æqualis fuit, susceptum esse hoc munus : deinde aliquandiu intermissum, cum titulis attributum Boemundo, quod vellem tabularum & testimoniorum fide firmasset.

XVI. Sunt, qui existiment, munus Archicancellarii Trevirensis prius extitisse, quàm ejus procurationem, ut argumento diplomatis colligunt, quod extat apud *Guil. Kyriandrum Augustæ Trevirorum annal. part. XI. p. 76.* Unde repetit Jo. Limnæus *Additionum t. V. lib. III. cap. 5.* Ast ibi non agitur de *Archicancellariatu* per regnum Arelatense constituto, quippe qui aliquot fere seculis posterior est, sed de *primatu* Galliæ Belgicæ, quæ is ad amplissimam jurisdictionis ecclesiasticæ dignitatem spectat. Cujus origo est longè antiquior, atque a Johanne XIII. Pontif. Rom. arcesitur, & ad annum DCCCC LXIX. referatur. Eam deinde secutæ sunt confirmationes aliorum Pontificum, Benedicti VII. Leonis IX. Victoris II. *V. Cbr. Browerus annal. Trev. tom. I. lib. X. & lib. XI. Gv. Kyriander part. XI. Petrus Merssaus tabulas Leonis IX. Eberhardo Trevirorum Archiepiscopo datas memoriæ tradidit, Victoris II. eidem concessas omisit. in annal. Archiep. Trevirensium LXXVII.* Similiter Caspar Bruschius in *Episcopat.*

Ger-

Germania in Eberhardo. Diversus est *Primatus* Episcopi Arelatensis, qui Francorum primæ stirpis Regum ætate conditus, principio per universam Galliam patuit: sed postea Clodovæo, ad religionis Christianæ societatem perducto, Remigius in toto ejus regno *primatum* adeptus est: in cetera Gallia, quæ Gothicis tunc Arianis parebat, necdum regno Francorum conjuncta erat, Arelatensis Episcopus primatum obtinebat. Quod intelligendo Baronio plurimum facit, qui privilegium Symmachi Pont. ad Casarium de *primatu* concessio perscriptum, non ex ordine temporum, sed ex instituti occasione ad annum 502. retulit, & alteram ejus epistolam anno 514. editam ex mutilo & mendoso codice recensuit ac vulgavit. In quo argumento feliciter versati sunt *Jacobus Sirmondus, Petrus Marca, Carolus Coinse*, idque jam non exequor, neque hujus est loci.

XVII. Igitur in præsens quæri oportet causam & principium conservati juris Imperii, quod KAROLUS IV. tribus, nec fallentibus indiciis asseruit & roboravit. *Primum* suppeditat publicum Aureæ Bullæ testimonium, in quâ non primum concessus, sed confirmatus est prædictus *Archicancellariatus*. Idem hoc argumentum est, quod affert & urget Hermannus Conringius, & censet, ante hanc legem & pronunciationem KAROLI IV. *nondum id esse factum*. Non quasi in universum neget, ante Karoli *bullam* illud munus fuisse penes Trevirenses: sed quod tunc constitutione Imperatoris publicâ Trevirensi primum fuerit assignatum, etsi jam ante hanc legem sententiâ & beneficio Cæsarium reverâ Trevirorum metropoli concessum tributumque erat, ut ex antiquo & diligente *gestorum Boemundi scriptore* aliquoties evici: *conf. Conring. de fin. Imp. cap. XXIV. & dissertatio de Officialibus Imperii.*

§. X. Ubi tamen de tempore nihil certi constituit, & pro-

nunciat, vix claram hujus Archicancellarii mentionem legi ante Bullam Auream Caroli IV. De sanctione publicâ largior, quæ nusquam extat, in quâ tale quid legatur: de aliis concessionum tabulis nego, & Boëmundi, qui ante KAROLUM IV. vixit mortuusque est, exemplum obverto, Ille autem gessit hunc titulum, ut narrat Boëmundi scriptor: quod jus suâ auctoritate sibi sumere non potuit, eò quod regalia & Imperii officia solo Cæsarum beneficio agnoscantur, & conferantur. Accedit, quod tam eminentia Imperii officia occasionem dederint, acqvirendis Electorum dignitatibus, atque adeò cum ante has, tum certe ante Caroli Bullam auream cœperint, & constituta fuerint: quod sicut de ceteris omnibus constat, ita de Trevirensi non est prorsus inficiandum.

XVIII. Quare non dixerim, Trevirensis ditionis metropolin, antiquitate & situ maximè egregiam, tamdiu hujus muneris tituliqve fuisse expertem, ut ejus Archiepiscopus, per regnum Arelatense Archicancellarius in Bulla Aurea constituatur. Si is sensus sit, quasi tunc primùm cœperit, & constitutus fuerit: Id quod publicis actorum documentis, & rationibus pragmaticis ad statum conditionemque Imperii Officialium pertinentibus repugnat. Quorum tamen inclinant eruditi quidam, & rerum Germanicarum periti homines, inter quos familiam ducit Joannes Strauchius, dissert. exoter. II. §. 9. Consentit auctor nuclei Historiæ Germanicæ §. CCV.

XIX. Alterum, neque incertum, & temporum ratione prius, rei hujus indicium præbet Karolina confirmatio, quæ aliquot annis præcessit Bullam auream, & satis indicat, hoc munus atque hunc titulum, non modò ante publicam hanc sanctionem, sed etiam ante Karoli IV. ætatem usu tractandoque cognitum fuisse. Nemo, quod sci-

sciam, huc respexit, nec diligentissimus Limnæus, neque
perspicacissimus Conringius, quorum tamen industriam
exercuit iste labor. Testis est scriptor *gestorum Balduini*,
Trevirensis Archiepiscopi, & Karoli IV. temporum æqua-
lis, qui totidem verbis scribit, quæ sequuntur. *In curiâ*
Domini Karoli Imperatoris Moguntia celebrata confirmatio-
*nem * privilegio rumforum & super archicancellariatu re-*
gni Arelatensis obtinuit, ubi etiam per totam Galliam &
Germaniam tutor & mamburnus fuerat constitutus regni
Romanorum, quo plures sua feoda requirentes infeodavit.
Hæc Karoli IV. comitia acta sunt Moguntia anno MCCC
XLVIII. quæ prætereunt Bohemici scriptores, quasi ad re-
gnum suum non pertinentia, tacentque Germanici, & in-
ter hos Albertus Argentinensis, Nauclerus, Trithemius, &
alii, fortè quod tunc jus electionis Karoli adhuc esset con-
troversum. Ista autem hoc majus robur habent, si Co-
mitia ab eodem A. M CCC LIII. indicta, & Moguntia ha-
bita, jungamus, cum citra controversiam legitime im-
peraret, Gunthero quoque Schwarzburgio, qui vivus
suo jure cesserat, extincto. Nam his posterioribus comi-
tiis privilegia hujus sedis denuo confirmata sunt, ut scri-
ptum reliquit *auctor gestorum Balduini ad b. A.* Joannes
Trithemius, qui multa alioquin scriptori huic accepta tu-
lit, dicta comitia in annum M CCC LIII. rejicit, quas ra-
tiones sequitur Chr. Broverus. Illud omnino liquet, in-
ter alia Karoli III. privilegia, Balduinum jus *typarii Impe-*
rialis in Gallia & Arelatensi regno adhibendi, pro se & o-
mnibus insequentibus Archiepiscopis obtinuisse. *Quò vid.*
Brover annal. Trev. t. II. lib. XVII. Quod argumento est,
regnum Arelatense Imperio non esse subtractum, quia ra-
tione ejus munus *Imperiale* non modò relictum, sed quo-
que novis cumulatoribusque privilegiis auctum fuit.

XX. Ter-

* Sine dubio
legendum,
privilegiorum
suorum: est e-
nim hic hia-
tus aliquis, si-
ve verborum
defectus, ut
ex contextu
apparet.



XX. Tertium, nec minus validum non abalienati
supremi domini præsidium collocatur in regiâ inaugura-
tione, quæ anno M CCC LXV. Arelati peracta est, evi-
denti sanè indicio regni illius, Germanorum Imperio ad-
huc innexi & subjecti. Loqvatur pro Imperatore Benes-
sius, oculatus plurimorum Karoli actorum testis, idemque
Pragensis *Canonicus*, & diligens, gravis eruditusque, &
quod maximum est, ætate conjunctus scriptor, cujus hæc
sunt verba: *Eodem anno (M CCC LXV) coronatus est D.
Imperator (Karolus IIII.) coronâ regni Arelatensis, quod
Romano subest imperio, in civitate Arelatensi, cum maxima
solemnitate.* Nihil clarius esse, nihil planius dici potest in
hâc causâ, quæ ad Karoli IIII. famam, & ad Imperii jura
pertinet, quippe quæ solenni *coronatione* non imminuun-
tur, sed integra & non mutata retinentur ac declarantur.
Nam in alieno, aut abalienato regno jus *coronandi* nemo
habet, & nullus est hujusmodi actus, si potestate imperan-
di, & summâ adeo jurisdictione destituatur. Sciebant
autem, nec contradicebant Franci occidentales, cum hæc
magno & publico apparatu agerentur. Rationibus su-
persedeo, cum vel una hæc firmissima sit, quæ à *secuto usu*
sumitur, unde jus validissimè probatur, ut est apud *Alber-
cum Gentilem disp. V. de extr. las. maj. reo.*

XXI. Nec solum utendo *coronationis* jure, jus far-
tum tectum conservavit Karolus, sed etiam exemplo redar-
guit fabulosas narrationes hominum credulitate decepto-
rum, qui putârunt, Rudolpho Habsburgio Cæsare, re-
gnum Arelatense fuisse interceptum. Parùm abfuit, quin
initiò ipse *Conringius*, auctoritate Alberti Argentiniensis
permotus assentiretur, ut ex epistola ad Gvilielmum Gvel-
forum ducem anno 1010 c. XXXVII. perscripta apparet.
Sed postea, re diligentius expensâ, & comparatis ampliori-
bus

bus historiae Germanicae subsidiis eruditè & sapienter monuit, Albertum id recensentem falli penitus & nugari, de *fin. Imp. cap. XXIV.* Cui refellendo vel unus Benesius sufficit, qui diu post Rudolphum vixit, & imperante Karolo III. floruit, rerumque ipsius pariter & jurium Imperii gnarissimus scripsit, *regnum Arelatense Romano subesse Imperio*, id est, ab nullo anteriori Caesare, quatenus à Friderico Aenobarbo series ducitur, ablatam, seu abalienatam & cessam, adhuc *Imperiali* ditione & potestate contineri.

XXII. Fortè occasio fabulandi inde arrepta est, quod à superioribus Burgundiae Regibus diu omissa esset *coronatio*, unde juris deperditi argumentum repetebant. Refert enim Benesius, primum fuisse Karolum IV. qui solennem illam Regum Arelatensium inaugurationem aliquot seculis intermissam revocaret, & *coronâ quintâ à trecentis annis neglectâ coronaretur.* Verùm sicut usu probata *coronatio* non dat jus, sed datum concessumque duntaxat ostendit & probat, sic intermissa nihil quicquam de jure quæsito detrahit, si aliunde servati *dominii* indicia suppetunt, quæ certè, cum Benesius scriberet, tam nota ac manifesta, tamque certa & indubitata erant, ut Karolus IV. pro summâ in regnum illud potestate, in urbe Arelatensi regium insigne susciperet: quod fieri non potuisset, si regnum hoc extra fines Imperii, & *Imperialis* jurisdictionis situm fuisset.

XXIII. Quare tot & tanta, & tam evidentia conservati pariter & confirmati per Karolum regni Arelatensis testimonia atque argumenta non sinunt, ut scriptoribus novis, & sive errore deceptis, sive studio partium abreptis largiamur, Karolum extremo Imperii anno abalienasse hoc regnum, idque transtulisse in Franciæ Delphinum. I. eqvidem hæc Karoli IV. abalienatio *facti* est, atque eâ de

B

cau-



causâ non *presumitur*, sed ab agente probari debet. II. Ea adversatur superioribus Karoli IV. actis, quibus nihil de juribus Imperii derogatum est: Illa autem eousque valida & mansura intelliguntur, dum ex actis posterioribus contrarium evincatur. III. In concessionibus de consilio, mente & voluntate concedentis non obscure & dubie, sed evidenter & clarè etiam constare oportet: Id quod natura hujus negotii postulat, & adeo verum est, ut omnia superiora acta, quæ Principes aperte & expressè non rescindunt ac mutant, non modò non mutata, sed quoque confirmata esse censeantur. IV. Adhæc concessionibus Imperatorum semper tacitam habent clausulam, *salvo Imperii jure*. V. Nam ut actus concedentis valeat, duo spectare debemus, quorum alterum est, an concedens transferre dominium re ipsa velit, alterum an jure possit. Sanè quidem Cæsaris & reipublicæ interest, ut jura Imperii, & regiones Imperio innexæ conserventur. VI. Quare concessionibus Imperatorum non debent esse fraudi successoribus, præsertim in Imperio *pactitio*, in quo ut jus regendi, sic etiam jus alienandi, spectat ad universos, tanquam universos. VII. Ubi autem deest alienandi potestas, ibi obligatio conservandi tamdiu manet penes Imperatorem, quamdiu is status reipublicæ durat, in quo universi simul jus imperandi habent. VIII. Nisi ergò hi simul consensum interponant, actus alienantis non erit per se validus, quia ex naturâ Imperii *mixti* hoc sequitur, ut plures uno sint, qui simul de reipublicâ statuunt, & leges ferant. IX. Magna autem diversitas est concessionum, quarum interpretatio ita sumenda est, ut Imperatoris officio & voluntati congruat, nec potestati ejus repugnet, neque nisi ex gravi & evidenti causâ ad cessionem supremi & *directi* domi-

nii

nii porrigatur. Inspiciendæ sunt in primis concessionum *clausula*, quarum aliæ derogantes, aliæ reservantes occurrunt: priores autem hic locum non habent, quia Karolus IV. acta superiora, quatenus ad supremum regni Arelatensis dominium pertinent, non rescidit, & data ejus nomine confirmationis privilegia non irrita fecit, nec aliâ concessione sustulit, neque ullâ sanctione contrariâ mutavit. Alteræ verò clausulæ supremum jus non auferunt, sed relinquunt certè & roborant, quæ concessionibus Imperatorum adjiciuntur, quando dominium, vel jurisdictio cum exceptione *directi* domini, vel supremæ jurisdictio- nis confertur. XI. Id vero hic usu venit, quando Karolus IV. non summam, sed vicariam quandam potestatem Karolo Delphino largitus est, nullâ partis Imperii abalienatione, aut deminutione factâ. XII. Præterea Karolus IV. Imperatoris Augusti titulo rationem regulamque non alienandi sibi præscriptam esse agnovit, præsertim cum recogitaret formulam primæ Rudolphi Habsburgii concessio- nis, quæ ad Comitatum provinciæ spectabat, & sum- mum *directumque* dominium concedenti reservabat. XIII. Quinimò minus concessit Karolus, & ne utile quidem regni Arelatensis dominum Delphino assignavit, ut qui sciret, regnum istud arctissimè Germaniæ conjun- ctum esse. Multum verò interest inter jurisdictionem vicariam & summam, quarum illa non egrediebatur *per- sonam* Delphini, & nullâ descendantium mentione ei ob- veniebat, atque ita concedentis summo juri cavebat, ut cum vitâ Delphini desineret ac finiretur. XIV. Tum ve- rò respublica *jure minorum utitur*, maximè Germanorum Imperium, quod certis pactis ad fundamentum regendi pertinentibus constituitur & continetur: in quo nulla pars legitimè alienari, nullum membrum validè auferri & se-



parari potest, nisi omnes, qui unâ cum Imperatore jus deliberandi & statuendi habent, sciant, consentiant & simul confirmant. Si quid autem inscientibus his atque invitis actum alienatumque sit, non modò successor ad servandum non tenebitur, sed quoque obligabitur ad rescindendum, quoniam non ex aliâ causâ imperat, quàm ex naturâ hujus actus, quem *electio* & *pactio* prorsus & omnino metiuntur. Quicquid ergò juribus Imperii, & pactis Imperium fundantibus adversatur, & quicquid adeò Principum Ordinumque Imperii consensu non firmatur, id nullam juris vim habet, nec rectè alienatum censetur, atque ex naturali juris prætorii æquitate rescindi debet, ut respublica, quam salvam conservari interest, vel sic certè *jure minoris utatur*, & ipsa, etiam sine Præatore, vi summæ potestatis, se in integrum restituat, & alienata repetat, ac donationes conventionesque omnes, quibus ipsa deterior facta est, rescindat. Id quod exigit obligatio, & causa habendi Imperii, ratione cujus Imperator non succedit in patrimonio, sed *electione* & *pacto* constituitur, ut salvis juribus, Imperium administret, in quo regnandi genere inest sanè obligatio ad rescindendas quasvis concessionem, donationem & abalienationem, ad damnum detrimentumve Imperii pertinentes, siquidem Imperatores contra pacta Reipublicæ, & citra assensum Imperii Principum Ordinumque concesserunt, donarunt, atque abalienarunt. *V. Hugo Grot. lib. II. cap. VI. & lib. III. cap. XX. de J. B. & P.*

XXIV. Jam satis intelligitur, quo robore stent Imperatorum concessionem, quove præsidio muniantur: fortè autem longius ab instituto deflexi, quùm consilium mihi sit excutere scriptores, per quos rumor percrebuit, Karolum IV. de Imperii patrimonio detraxisse hanc insignem nobilemque partem, quæ nomine regni Arelatensis ap-
pel-

pellatur. Antea quidem apud Romanos in urbe Arelatensi palatium fuit, & Honorii Imp. auspicio magnopere crevit, & evecta est, sed inclinatis Romanorum rebus, Gothicis victoribus cedit, & hinc à Francis Merovingis subacta est, at Regibus Burgundicis tunc sedem caputque rerum non præbuit, neque id temporis regni Arelatensis appellatio audita, seu cognita usquam fuit. Imperantibus Karlingis, *Arelatensis* pagi mentio est in codicillis & tabulis, regni Arelatensis nusquam. Quod comprobatur *renovatio testamenti Abbonis per Karolum M. facta*, apud Joannem Mabillon *de re diplomatica lib. VI. dipl. LXII.* In testamento Karoli M. Arelatum numeratur inter *metropoliticas civitates*, regni titulo nondum insignitur: apud Eginhardum *de vita Karoli M. cap. 33.* In altero, quod Pithœus edidit, Burgundia & Provincia memorantur, nihil de regno Arelatensi traditur. Dux Arelatensis Solcratus ab Hluthario impositus occurrit in *annalibus Francorum an. DCCCXLV.* Erat sanè tunc Burgundia regni Francorum provincia, atque in ditionem horum veniebat anno DXXXIV: nomenque hoc ab insigniori & majori parte capiebat, cum regni titulo & dignitate ornaretur. v. *Gregorius Turonensis lib. III. cap. 6. & Marius Aventicensis in Chronico.* Inde hoc regnum à Francorum secundæ stirpis ditione sejunctum est, quod anno DCCCXXCVIII, ductu auspicioque Rudolphi accidit, imperante Arnolpho. *Regino Chron. lib. II. ad h. an.* Post hac, tertiâ Francorum Regum periodo, Henricus Auceps, & Otto M. armis victricibus eò penetrarunt. Anno cIXXXXII. regnum hoc obvenit Conrado Salico, *ut est apud Wipponem in vita Conradi Salici ad hunc an. & seq.* Hinc demùm Fridericus Ahenobarbus, inito connubio cū Beatrice, Rainaldi III. Comitis Burgundiæ filiâ unicâ pari-

ter & herede, hanc juris firmandi viam reperit, & com-
modâ occasione ususest, & Burgundiam novo atqve uxo-
rio titulo acquisitam, Germaniæ iterum arctissimè con-
junxit. *Otto Frisingensis de gestis Friderici I. lib. II. cap. 29.*
Radevicus Ottonis continuator refert, antistites primates-
qve regni Arelatensis, *omnimodam subjectionem & debi-
tam fidelitatem Imperio Romano compromisisse. lib. I. cap. 11.*
Guntherus lib. VI. Ligurini. A quo tempore appellatio re-
gni Arelatensis usu Imperii increbuit, & serio recepta, &
constanter servata, atqve adeò in Karoli IV. tabulas reda-
cta est, nomenqve regis Burgundiæ, quod è Francis Me-
rovingis Gunthramnus sumsit, sensim exolevit. *V. Pon-
tus Heuterus rerum Burgund. lib. I. qvi Bosonem contem-
ptim & per contumeliam Provincia, aut Arelatum Re-
gem dictum fuisse narrat, & Joannes Busieres hist. Franc.
lib. VI. De Gunthramno conf. Hadrianus Valesius rer. Fran-
cic. lib. XX.* Ut vero regnum Arelatense Germaniæ, sic
Gallia, quâ ditionis Germanicæ est, regno Arelatensi
conjuncta, atqve ad imperiale officium Archiepiscopi Tre-
virensis relata est, unde colligamus licet, non universam
Galliam, sed Belgicam solùm, quæ una cum regno Are-
latensi ad Imperium pertinet, hoc tali *Archicancellariatu*
contineri *V. H. Conringius de fin. Imp. cap. IIX. Jo. Henr.
Bœclerus notit. Imp. lib. VI. cap. 6.* Non satis idonea est in-
terpretatio Marquardi Freheri *in notis ad Petrum de And-
lo lib. II, cap. 1.* Nec meliùs explicat Abraham Urbanus *in
diss. de Imperii Electoribus cap. IV. tb. 3.*

XXV. Sed quæ & quanta sint tandem ista testimo-
nia, quibus multi nescio quod pondus inesse putant, ut
Karolum IV. culpæ reum faciant, & dissipationis Imperii
bonorum, quæ regnum Arelatense complectitur, con-
vincant, & alios ad assentiendum moveant atqve indu-
cant,

cant, propiùs inspiciamus. Theodericus à Niem, ponti-
ficius quondam scriba, ac deinde Verdensium apud Vest-
phalos Antistes, quem manifesto errore episcopum Vir-
dunensem nominat Balbinus, hodiernus rerum Bohemi-
carum scriptor, gravi accusatione petit Karolum, & sic
scribit. *Carolus hujus nominis quartus Augustus, imò ve-
rius dissipator injustus, tempore Urbani Papæ V. regnum
Arelatense, quod similiter est juris & proprietatis Imperii,
& quod etiam dictus Otto Magnus Imperator adjecit Impe-
rio, sumpto magno prandio apud Villam novam prope Avi-
nionem per eundem ducem ipsi Carolo preparato, transtulit
in præfatum ducem, postea in regno Sicilia vitâ functum:
nec bis contentus idem Carolus nobilem principatum Del-
phinatum vulgariter nuncupatum, qui est una de septem
provinciis dicti regni Arelatensis, quod etiam Burgundia
nuncupatur, transtulit in Regem Francorum, sub colore,
quod primogenitus regis Franciæ dictum principatum, tan-
quam vasallus Imperii teneret in feudum, & inde Delphi-
nus vocaretur, de schismate lib. II. cap. XXV. Primò in-
dictâ causâ reprehendit, criminatur & damnat Augustum.
Deinde diversa Karoli IV. itinera confundit, quorum al-
terum anno c. l. c. CCCLXV. versus Avenionem suscepit,
atque hanc urbem ingressus Urbano V. illic sacris operan-
ti adfuit, cum domi rerum satageret Carolus V. alterum
anno M. CCC. LXX. VIII. iniit, atque in urbem Parisio-
rum summâ pompâ deductus, liberaliter habitus & cul-
tus, ac solenni convivio ab Rege Franciæ exceptus fuit.
Hoc fuit illud prandium scilicet propter quod Delphina-
tum & regnum Arelatense transtulit in Regem Franco-
rum. Tum sibi non constat, quando ait, Delphinatum &
regnum Arelatense translatum esse in Regem Francorum.
Hoc enim apertè falsum est, & alibi à seipso dissentit, pu-
tat-*

ratque, Ludovico duci Andegavensi Francorum regis germano, suisque heredibus concessum ac traditum fuisse. In nemoris unionis labyrintho tract. VI. cap. XXXIII. Rursus fallit, quum Ludovicum Andegavensem nominat, quem scire oportuit, non Ludovicum Andium ducem, cui Imperator nihil vicario jure gerendum tradidit, sed Carolum Delphinum, eumque Caroli V. sapientis filium hic fuisse denotandum. Neque verò plenum summumque jus in Delphinatum & regnum Arelatense Delphino concessum est, sed vicaria potestas sub auspiciis Imperii habenda, quæ sine dubio minor est potestate concedentis, utpote cujus vicaria est, atque vel hoc argumento summa dici ac haberi non potest. Quod de colore & adornato in speciem *Vasalli* titulo subjunxit, non potest certis monumentis firmari illa Cæsarum sub lege beneficiaria concessio, quæ quidè ratione *Delphinatus* peracta sit, omninò autè post decessum Humberti, ultimi Delphinatum principis, confirmatio Cæsarea ratione *Delphinatus* quæsita est, evidenti certè documento Cæsarei juris, cui non officiebat donatio Humberti, quippe quæ intelligi debet cū exceptione summæ potestatis, quæ apud Cæsares facta tecta remanebat. Post hæc Karolus IV. Delphinum non ratione *Delphinatus* regni que Arelatensis *Vasallum* reddidit, sed eum *Vicarium* constituit, nec aliud, quàm *vicarium temporariumque* jus ipsi assignavit. Robertus Gaguinus refert sequentia. *Traditum à Gallis scriptoribus comperio, Imperatorem quibusdam castellis terra Delphinatus donasse Delphinum, eumque in Arelatensi regno Imperii vicarium instituisse. Hist. Franc. lib. IX.* Dicit, quædam castella, non exprimit quo jure, supremo, an fiduciario, an clientelari, an vicario possidenda donaverit: neque verò terram *Delphinatus*, sed aliqua duntaxat castella donata fuisse refert: adhæc donationis con-

concessionisqve instrumentum non vidit, nec plus concessum affirmare ausus est, quàm quod *Vicarii & locum tenentis* munere officioqve designatur. Totam verò hanc Imperatoris concessionem reticet Paulus Æmilius in *lib. IX. de rebus gestis Francorum in Carolo V.* Nisi quod eodem libro in Philippo Valesio tradit, Humbertum à nobilitate persuasum, regionem Delphinatus Regibus Francorum addixisse, ea tamen lege, ut filii ipsorum natu maximi & habiles, sive ut Æmilius scribit, *in proximam spem regni suscepti, Delphini vocarentur, juraqve Delphinatibus redderent.* Sed quo jure id habeant, summo, an dependenti & vicario, non definit, nihilqve dicit contra jus Cæsarium, nec ad ultimam originem causamqve concessionis progreditur, sed in dante inferiori & proximo, salvis Imperii rationibus, acquiescit.

XXVI. Joannes Aventinus, cetera eximius & diligens Bojorum scriptor profusum donandi genus innuit, atqve hæc de Karolo IV. scribit. *Galliam Narbonensem, quam Vienna principatum, Delphinatum, regnum Arelatense vocamus, ab Imperio abalienavit. Joanni sororis sue marito, ejusqve filio Carolo quinto regibus occidentalis Francie tribuit. Sigismundus filius ejus, qui post rerum potitus est, approbavit. Diploma in bibliotheca Parisiorum amplissima, quæ in templo suburbano divo Victori dedicata extat, legi. in libro VII. annalium Bojorum.* Exinde verò perspicimus Aventini industriam, & diplomatis *Sanvictoriani* fide nitentis auctoritatem: adhæc consultò prætereuntis ineptam & fabulosam *Niemii circumstantiam de prandio apud Villam novam sumto*, cujus nec scriptor vitæ Karoli IV. neqve auctor vitæ Urbani V. neqve alius quisquam æqualis, aut suppar mentionem fecit, neqve status istorum temporum tulit, ut Carolus V. Lutetiâ facilè

C

exce-



excederet, qui caput rerum prudenter tenebat, & sedendo, ut dici solitum est, hostes vincebat. Illud autem libenter admittimus, ubi assentiendi causa est, sed ubi cetera non respondent, ab eo discedimus, & nihil amori damus. Quare colligo, Aventinum in digressione ad res Gallicas, muneris sui oblitum, & errore memoriae lapsum, de diplomatis sententiam non tam ex accurata lectione, quam ex fama, quae apud vulgus percrebuerat, judicasse, ut evenire solet iis, qui juvenes, nec aetate, neque rerum usu confirmati, studiorum gratiam apud externos versantur. Nam hoc liquidò scimus, *concessionem* Karoli IV. ad Carolum Delphinum, Caroli V. filium, Joannis nepotem, ac Philippi Valesii adeò pronepotem pertinere. Agnoscit hoc Henricus Spondanus, & Caroli Regis Francorum *primogenitum*, posthac Caroli VI. nomine appellatum, fide visi *diplomatis* memorat, atque hoc temporum actorumque rationibus congruit, nec traduci potest ad Carolum Philippi Valesii filium, ut scribitur *in nucleo historiae Germanicae* §. CCVI. Concesit autem Karolus nihil Delphino, praeterquam *vicarium* jus, nec plus sanè confirmare potuit Sigismundus.

XXVII. Jacet nunc, opinor, totius criminationis caput, nec video, quamobrem ex eo vel invidia colligi, vel odium Karolo IV. conflare possit. Gasparem Peucerum, virum nostratis historiae, & omnis antiquitatis peritissimum, fortè in hanc sententiam traxit Aventinus: Ille autem ut probet vera esse, quae tradit, rationem addit, & hanc quidem in parte laudem obterit innoxii Imperatoris. Ita enim scribit: *Et quod addictior esset Gallico nomini, ex primae consuetudine, deinceps Regibus jura regni Arelatensis alienata ab Imperio concessit, in maximum detrimentum Imperii. Quae de re graviter & jure culpatur.* Chron. lib. V.

V. Fateor quidem Karolum IV. diu in aulâ Gallicâ educatum, & mutato Venceslai nomine, Karolum ibi appellatum, atqve in mores Gallicos formatum, & deniqve illius gentis regibus necessitudine & connubio fuisse innexum, id quod Gallici pariter & Bohemici scriptores testantur. Sed æquum non est, ut ideo hujus facti, quod fidem lædit, & pacta infringit, invidia in Karolum IV. conferatur. Hoc probandum est, non conjecturâ affirmandum, non ratione colligendum. Aliter fieri par est, quum de promisso & pacto Principis agitur, in quo fides exuberare debet, & si quid contra admissum est, evidenter probari oportet.

XXVII. Nicolaus Vignierius hujus concessionis causam & rationem ita explicat, ut ejus originem simul ad Albertum I. referat, quasi is suo & Imperii juri in regnum istud renunciasset, ac deinde post eum Henricus VII. spe impetrandi consensus Imperii Principum, sine ullâ conditione & exceptione Philippo Francorum regi vendidisset. *Part. III. Biblioth. historial.* Nominat diploma transactionis, sed non affert, ut propterea ab hoc testimonio vim & pondus testimonii requiramus. Mox historiam Episcoporum Trevirensium nondum excusam laudat, in quâ exemplum transactionis reperiatur: sed in castigatissima rerum Trevirensium historiâ, quæ diu post Vignierium industriâ Chr. Broveri collecta, & operâ Jacobi Masenii edita est, perspicuè legamus, Boemundum & Wichboldum, per regnum Arelatense & Italiam *Archicancellarios*, reliquosque Imperii Principes consensum non interposuisse, Boemundum quoque, cujus in istis finibus & expediendi, & sigilli imprimendi partes erant, sigillum tradere noluisse, ut vel isto denegati consensus & sigilli indicio, hæc actio ad exitum *effectumque* non deduceretur, multo minus vim & auctoritatem *Imperialis* transactionis

consequeretur. *Quod Limnei & Conringii causa omnino meretur observari: interim vid. Browerus annal. Trevir. t. II. lib. XVI.* Absurdior est narratio, quæ extat apud Gvilielmum de Nangiaco, in hanc sententiam, quasi ex formulâ transactionis, inter Albertum I. & Philippum Pulchrum initâ, Rhenus Franciæ limes versus Germaniam constitutus esset. Valde miror, id probâsse fratres Sammarthanos, quos jure castigavit Petrus Puteanus, & agnovit Belloforestius, non à Rheno, sed à Mosa limitem utriusque regni ducendum esse. *Conf. H. Conringius F. I. cap. XXIV. & Ulricus Obrechtus Prodromi vol. 1. cap. VII.* Æquè vanum est, quod commemorant de venditione Henrici VII. quæ non magis firma esse potest, quàm Alberti I. transactio, quoniâ Imperatoribus nō est jus alienandi partes Imperii sine consensu Imperii *Electorum*, Principū atq; Ordinum, qui nunquam hujusmodi venditionem suffragiis suis comprobarunt. Neq; verò hanc venditionem opus fuit, si jactata Alberti I. donatio præcessisset. Nihil addam de auctoribus venditionem hanc celebrantibus, qui suspecti sunt & variant, certisque monumentis destituuntur. Inter hos est *Cassanus*, qui in probandi negotio hæret & ambigit, utrum ab Henrici, an à Conradi cessione regni hujus supremum jus sit arcessendum, de quo legere est in *Vindiciis Hispanicis Jo. Jacobi Chiffletii*, satis ingenui & diligentis. Inprimis autem Cassani, & similium auctorum commenta vel hoc argumento refelluntur: quod si unquam vel ab Alberto, vel ab Henrico, vel alio quovis anteriori Cæsare, regnum sæpe dictum Regibus Francogalliæ donatum aut venditum fuisset, non posset reddi ratio, quamobrem Karolus IV. regis insignia eo in regno suscepisset: non item posset adduci causa, quamobrem Carolus Delphinum cum vicaria jurisdictione per totum hoc

re-

regnum constituisset, si jam diu ante Reges Francorum titulo donationis, vel emptionis supremum ejus regni dominium obtinuissent. Imò si verum esset, quod de Alberti I. & Henrici VII. cessione traditur, Clemens VI. Pont. Rom. tam enixè non laborasset de assensu & confirmatione Karoli IV. cum Avenionem Provinciæ urbem à Joannâ Neapolitanâ, tanquam à Provinciæ Comitè emeret, quod is tamen necessariò faciendum sibi putavit, & misso in Lusatiam nuncio impetravit, summamque adeò Imperii jurisdictionem in Provinciæ Comitatum, ab excessu quoque prædictorum Cæsarum Alberti I. & Henrici VII. agnovit. v. *Abrahamus Bzovius*, & *Henricus Spondanus Baronii continuat. ad an. 1348.* & *Bosquetus in vitâ Clementis.*

XXIX. Majori prudentiâ, ut aliàs solet, Albertus Cranzius ad hanc rem aggressus est, atque in Karolo IV. largiendi prudentiam desideravit, & questus est, exhaustos ab eo esse Imperii nervos, & vendita vectigalia publica, ab alienatasque Imperii urbes, ut quas venum exposuisset, Principumque finitimorum ditioni attribuisset. *lib. X. Saxon. cap. 3.* Nam diversæ sunt quæstiones de concessionem dominiî *utilis*, & cessione dominiî *directi*, ac juris Imperatorii in universum. II. Alia est disceptatio de bonis Imperii in alium statum deductis, ut nihilominus adhuc summâ Imperii potestate contineantur: alia est de iisdem ab Imperio prorsus separatis, ita ut ab universo civitatis jure eximantur. III. Non paria faciunt amissio juris, quod est cum dignitate Civis Imperii, & amissio Civitatis *Imperialis*. IV. Quoad enim civitas retinetur, manet parendi obligatio, etsi dignitas *regalis* amittitur, & pristina conditio mutatur, ita ut exemptus non proximè, sed interje-

cto alio, puta Principe, aut *territorii domino*, jus in civitate deinceps accipere teneatur. V. Imperatores saepe liberius versati sunt in bonis patrimonium reipublicæ complectentibus, quorum concessio ita se habet, ut per eam summa concedentis jurisdictione non extingvatur. VI. Quamvis ne sic quidem mero suo arbitratu id possint, neque olim jure potuerint: majoris autem momenti res est, si de summo concedentis imperio bona isthæ concessa auferantur, atque in aliud, & suis legibus utens Imperium transferantur. VII. Etenim ab ultimis inde Regum Germaniæ, & ipsius adeò Ludovici Germanici temporibus, Reges atque Imperatores nostri liberum alienandi jus non habuerunt, quamvis aliqui eorum, nescio quo necessitatis prætextu, ante *rigorem Capitulationum*, reipsa alienarint, salvo tamen Imperii jure. VIII. Nam à principio reipublicæ Germanorum *capitula*, unde *capitulationes* dicuntur, cœperunt, & semper usu probata viguerunt, maximè autem ætate Caroli V. Austrii increbuerunt & aucta sunt, regniqve legitimi indicia præbuerunt. IX. Necessitatis exceptio non potest fraudi esse iis, qui semper assentiendi jus habuerunt, & dato ab alienationis casu, consensum pro eo, ac decet, non interposuerunt, sed imò contradixerunt & reclamarunt. X. Hinc ex eo capite nequit obtendi *prescriptio*, quoniam tali modo accipienti obstat mala fides, quando scit, nihil jure ab alienari posse, ubi potestas ab alienandi deest. XI. Nec vero ita ab alienavit Karolus IV. ut ab Imperio ullam Imperii partem separaret, sed quod donavit & vendidit, id intra summam Imperii jurisdictionem stetit, ac iis summi domini legibus fixum permansit. XII. Neque in bonis *domanum* & *ærarium Imperiale* complectentibus, pleno & libe-
ro


ro jure usus est, non modò ob necessarium Imperii con-
sensum, sed quoque ob causam rationemque evidentem
ferendi onera reipublicæ, & tuendi imperatorum splen-
dorem. Quà de causâ Electores ad Rhenum non satis si-
bi cautum putârunt, nisi caput illud de concessis oppig-
neratisque sibi vectigalibus expressè in juratas Cæsarium
capitulationes referretur. XIII. Proinde dicitur,
quod Maximiliano I. tribuitur, non est ita capiendum,
quasi partes reipublicæ insigniores, nominatimque re-
gnum Arelatense à supremo Germaniæ dominio separaf-
set, atque in alienum & externum imperium traduxisset.
Etenim nihil tale admisit Karolus, & in concessione regni
Arelatensis clarè significavit, *Vicariatum generalem*, e-
umque non hereditarium, sed quoad Delphinus viveret,
concessum fuisse. XIV. Exinde eliciamus, *absolutum*
Imperium, quod concessione *vicariatus* generalis Delphi-
no attributum memorat Spondanus, non designare sum-
mum *absolutumque* regendi jus, sed plenam liberamque
administrationem, quam eo titulo Delphinus habebat, at-
que non suo, sed concedentis nomine, nec proprio, sed a-
lieno & dependenti jure, neque summâ, sed vicariâ duri-
taxat potestate *ad tempus vite*, retinebat, *in annal. eccles.*
Baronii continuatione t. 1. an. 1378. Nullus dubito, id
omne clarius fore, & ad tuendam hanc causam opportu-
nius, si integrum, nec mutilatum diploma in posterum
edatur. XV. Esto autem: concesserit summum regimen
Delphino: summum certè jus sibi & Germaniæ reserva-
vit, quod eo mortuo, Rupertus Romanorum Rex princi-
pio quincti decimi seculi testatum fecit, & publicè eviden-
terque declaravit, *Vicariatum* Imperii alterum, Palatina-
tui Rhenensi tunc conjunctum, per Galliam regnumque
Arelatense diffundi: id quod summi, nec ab alienati per Ka-
rolum juris firmum sanè manifestumque argumentum fu-
it.


it. Extant tabulæ apud Marquardum Freherum, juris nequicquam ablati testes, *in notis ad Petrum de Andlo lib. II. cap. 10.* Esto: majorem Bohemiæ, quàm Imperii rationem habuerit: esto, illius commoda potius, quàm Germaniæ quæsierit: ut est apud *Æneam Sylvium hist. Bohem. cap. XXXIII. Jo. Caspianum Oper. de Cesar. in Carolo quarto: quorsum spectant Jacobus Spiegelius lib. V. in notis ad Ligurinum, & Simon Rettenpacher in annalibus Cremifanensibus lib. III. cap. 2.* Non tamen ita curam cogitationemque reipublicæ abjecit, ut partes Imperii de Imperio demptas, in externa regna potestatesque transferret. XVI. Extremò in abalienatione evidens necessitas spectari debet, citra quam fieri non intelligitur, nedum *presumitur.* At verò tunc nihil occurrebat atque incidebat, quod necessitatis ratione ad perniciosam ejusmodi cessionem Imperatoris animum inclinaret. Regnum Galliæ bello Anglico exhaustum & fractum, vix seipsum tueri poterat, nec Germaniæ metuendum erat, sed ab auctoritate Karoli IV. consilium & robur petebat, adeò ut ipse pacis conciliandæ causa in Galliam proficisceretur. Necessitas ergò ostendi non potest: utilitas quoque inde nulla ad concedentem redundabat: Nulla res, nulla ratio Karolum movebat, ut aliquid tale moliretur. Clariora servati juris indicia supersunt, quæ doceant, nunquam eo regno se exuisse Karolum, nec, salvâ Imperii majestate, in alium, externumque Principem transferre potuisse.

XXX. Nondum igitur jure suo Germania excidit, neque in pace Vestphalicâ, neque in Noviomagensi, quæ tota illius fundamento stat & nititur, pristino summoque regni Arelatensis dominio renunciavit: quinimo ratione ejus non inanem *officii Imperialis* titulum etiam nunc retinet, atque hujus usu constanti & firmo, jus non cessum, neque derelictum evidenti ratione asserit, servata ac tuetur.

Dissertationes Schurtzfließchii
 I. De Rebus Gestis Alberti Uxi
 II. De Historia Marchionum ac Electorum
 Brandenburgensium.
 III. De Vita Alberti III. Animosi Ducis Saxonie
 IV. Quaedam Capitula Historiae Saxonicae
 De Alberto III. Animoso.
 V. De vera Origine Superiorum motuum
 Belgicorum.
 VI. De Historia Veteris Regni Populorum
 Burgundionum.
 VII. De Induciis.
 VIII. De Rebus Sclavicis.
 IX. De Venetum Regimine.
 X. De Maris Servitute.
 XI. De eo, quid efficiat Imperie.
 XII. De Originibus Pomeranicis.
 XIII. De Marchia Misnensi.
 XIV. De Frederico III. Sapiente
 Saxonicae Electore.
 XV. De Stephano Rufino Donico
 Cosaco Perduelli.
 XVI. De Principio Mosellae Rationis.
 XVII. De Lusatia.
 XVIII. De Rebus Mecklenburgicis.
 XIX. De Propositionibus Historicis.
 XX. De Ottone Magno.
 XXI. De Divisione Imperii Carolini.
 XXII. De Lemmatibus Historicis.
 XXIII. De Justiniano Orthodoxo.
 XXIV. De Characteribus Eventorum
 quatenus utilium.

Professoris Wittenbergici et et Sa.
 XXV. De Actionibus Turcarum.
 XXVI. De Argumentis historiam com-
 plectentibus.
 XXVII. De Carolo XV. Augusto.
 XXVIII. De Characteribus Eventorum quatenus ad
 rationes Imperandi pertinent.
 XXIX. De Ungarica.
 XXX. De Characteribus Eventorum ad decidendum
 Illustres controversias pertinentia.
 XXXI. De Propositionibus Historico-
 Geographicis. I.
 XXXII. De Daleminicia Sclavorum.
 XXXIII. De Propositionibus Historico-
 Geographicis. II.
 XXXIV. Annotata ad Les Russes.
 XXXV. De Henrico Leone.
 XXXVI. De Nobilitate insignibus




































































AB: 1540 9/7 41

ULB Halle

3

003 942 414





Handwritten mark

R

VD 77







33

QVOD
KAROLUS IV.
AUGUSTUS,
non dissipaverit Im-

perii Patrimonium, quatenus per-
tinet ad regnum Arelatense,

PRÆSIDE
CONRADO SAMUELE
SCHURZFLEISCHIO,
PROFESSORE PUBLICO,

asseret atque evincet

GEORGIUS GIESE,
Magdeburgensis,

In Auditorio majori.



WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

ANNO clō lōc LXXXIV.